



## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia**

Ab anno DCCCLXXII. ad annum DCCCCIX.

**Parisiis, 1644**

Epistola CCLII. Ioannis Papae VIII. Ad Carolvm Regem. Gratias agit de eius  
erga sedem apostolicam obseruantia. suam erga eum benevolentiam  
testatur. aduentum eius pro ecclesiae necessitatibus ...

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15967**

cuius existere firmitatis. Data Idibus Augusti, indictione decimatertia.

## NOTA.

*[Et si fortasse nostri legati.]* Hanc Synodum pseudooctauam a Ioanne VIII. ceterisque eius successoribus pontificibus & a Concilio Florentino reprobatam fuisse, præter alia, de quibus infra, indicant ista verba. Vide quæ notauimus in Conciliabulo Constantinopolitano, sub Ioanne papa VIII. infra, verbo *Reprobatum*.

## EPISTOLA CCLII.

## IOANNIS PAPÆ VIII.

## AD CAROLVM REGEM.

Gratias agit de eius erga sedem apostolicam obseruantia. suam erga eum benevolentiam testatur. aduentum eius pro ecclesiæ necessitatibus expectat, monetque ut aliquem legatum mittat. queritur de Georgio quodam excommunicato, qui ipsius imperatoris auctoritate fultus bona Romanæ ecclesiæ inuaserat. rogat ut promissa auxilia mittat.

*Excellentissimo d<sup>o</sup> dilecto filio Carolo glorioſo regi.*

**R**ELEGENTES regalis excellentiæ vestræ literas, deuotionem vestram quam circa sanctam ecclesiam matrem vestram, & circa nostrum pontificium habetis, luce clarius nouimus; vnde multiplices gloriæ vestræ gratias referimus. Nam & nos vos semper quasi dilectum & spiritalem filium retinemus, & pio mentis affectu desideramus amplecti, & pro augendâ gloria vestra assidue sollicti incunctanter existimus. Quod autem nobis mandastis, vt vestrum optatum præstolaremur aduentum, pro eorum aduersitatibus emendandis, qui nobis contraria inferre, & qui a nostra ditione homines nostros subtrahere præsumunt; nos quidem vestrum aduentum toto desiderio pro tantis ecclesiæ Dei necessitatibus, quæ ad augmentum gloriæ vestræ sunt emendandæ, omnimodo optamus inspicere. Sed sicut vobis nostris iampridem apostolicis literis suggestimus, vt vestrum idoneum missum nobis direxissetis, cum quo aliquid de ecclesiasticis vtilitatibus potuissemus perficere; pro qua causa non eum miseritis, mi-

ramur. Quamobrem petimus, vt eumdem missum, antequam veniatis, nobis dirigere non omittatis: vt cum, Deo auxiliante, veneritis, nobis simul conuenientibus, vera inter nos dilectio, vtpote inter spiritalem patrem & carissimum filium possit existere. Præterea postquam Georgius excommunicatus & anathematizatus cum homine VVidonis est a vobis reuersus, assiduo sumus moerore turbati; eo quod audacter veniens, quasi vestra fultus auditoritate, in proprietates olim suas, quæ ad ius sanctæ Romanae ecclesiæ, (Carolo diuæ memorie imperatore patruo vestro concedente,) non legaliter peruererunt, (& nunc usque iuri nostro defendebamus & tenebamus,) temere pariter cum aliis introiuit: & nostros, qui in circuitu homines existunt, affligere, & deprædari non cessat. Vnde obnixe rogamus vestram magnitudinem, vt sicut nobis ore proprio promisisti, & per epistolam vestram, atque legatos nostros, Liutvardo venerabili sanctæ Vercellensis ecclesiæ episcopo mediatore existente, mandasti, præsentialiter nobis adimplere satagatis: quia nos ea, quæ vobis promisimus, omnimodis adimplebimus, aut eosdem infideles nostros procul a nobis expellatis, vt nulla nobis aduersa, vel contraria valeant aliquatenus moliri, quo usque Deo propitio vos veneritis. Quarto Idus Septembris, indictione decimaquarta.

## EPISTOLA CCLIII.

## IOANNIS PAPÆ VIII.

AD ROMANVM ARCHIEPISCOPVM  
RAVENNATEM.

Iubet eum Romam ad Synodum causa dissoluendi quasdam quæstiones aduenire.

*Romano archiepiscopo Rauennati.*

**Q**VIA bellica, imo Sarracena impediente angustia, iuxta sacros Canones, quarto scilicet Idus Octobris, Synodum sicut volueramus celebrare nequiuimus; opportune, valdeque necessario sane præuidimus, vt hanc eamdem vi. Idus Nouembris istius quartædecimæ indictionis, adiuuante Domino, conuocemus. Quapropter sanctimoniam tuam hortamur, vt ad idem tempus sine omni